



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quomodo intelligatur illud, quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

non impeditur baptismi gratia, quo minus omnia peccata dimittantur, etiam si fraternum odium in eius cui dimittuntur, animo perseverat. Soluitur n. hesternus dies, & quicquid superest: & soluitur etiam ipsa hora momentumque ante baptismum, & in baptismo. Deinceps a. cōtinuò reus incipit esse non solum consequētium, sed etiā prāteritorum dierum, horarū, momentorum, redeuntib. omnibus quæ dimissa sunt. Hoc a. vt prædiximus, non sub assertione dixit: quod ostenditur ex eo, quod ait in eod. libr. sic. Si ad baptismum fictus accedit, dimissa sunt ei peccata, aut nō sunt dimissa, eligant quod voluerint. Ecce apertè cernis, si tamen attendis, id dixisse Aug. nō asserendo, sed quæ rēdo, & aliorum opinionē referendo. Idē n. ait. Tunc valere incipit ad salutē baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit: quæ corde in malitia perseverante, peccatorum abluitionem non sinebat heri. Non ergo fictè accedenti peccata dimittuntur. Quomodo intelligatur illud, quot quot in Christo baptizati estis Christum induistis.

*Aug. eodem  
lib. 1. cap. 12.  
in princ  
Ante mediū  
eiusd. ca. 12  
Ibid. paulō  
superius.*

*Galat. 3. d*

Quæritur ergo quomodo illud accipiatur, Quot quot in Christo baptizati estis, Christū induistis? Potest dici, quod qui in Christo, i. in Christi conformitate baptizantur, vt moriantur vetustati peccati: sicut Christus vetustati pœnæ: induunt Christum, quē per gratiam inhabitantem habent. Potest & aliter solui. Duobus n. modis Christum induere dicimur: vel assumptione sacramenti, vel rei perceptione. Vnde Aug. Induūt homines Christum aliquando vsq; ad vitæ sanctificationem, aliquando vsq; ad sacramenti perceptionem: atq; illud primum bonis & malis potest esse commune, hoc autem est proprium bonorum & piorum. Omnes ergo, qui in Christi nomine baptizantur, Christum induunt vel secundum sacramenti perceptionem, vel secundum vitæ sanctificationem.

*Rom 6. a  
Ephes. 4. c  
In lib. de ba-  
ptismo con-  
tra Donati-  
stas 3. ad pr.  
cap. 24. in  
tom. 7.*

De